



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt XVII. Cum quanta humilitate, reverentia, firmaq[ue] fide speculanda sit superaltissima Trinitas: ex Dionysio Carthusiano.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

De speculatione beatissime Trinitatis in eius nomine, quod est. Bonum: ex Bonaventura.

DIUUS Bonaventura cap. 6. Itiner. arj. mentis in Deum, de hac contemplatione sic ait: Post considerationem essentialium, et secundum oculum intelligentiæ ad contemplationem beatissime Trinitatis, ut alter Cherub juxta alterum statuatur. Sicut autem visionem essentialium ipsum esse est principium radicale, & nomen, per quod cetera innotescunt; sic contemplationis emanationum, ipsum bonum est principatissimum fundamentum. Vide igitur & attende, quantum optimum quod simpliciter est, quo nihil melius cogitari potest: & hoc tale sit est, quod non potest cogitari non esse; quia omnino melius est esse quam non esse: sic est, quod non potest recte cogitari, quin cogitetur trinum & unum. Nam bonum dicitur diffusivum sui. Summum igitur bonum, summè diffusivum est sui. Summa autem diffusio non potest esse, nisi sit actualis & intrinseca, substantialis & hypostatica, naturalis & voluntaria, liberata & necessaria, indeficiens & perfecta.

Nisi igitur in summo bono æternaliter esset productio actualis, & consubstantialis, & hypostatica, aequè nobilis, sicut est producens per modum generationis & spirationis, ita quod sit æqualis principij æternaliter principiantis, ita quod esset dilectus & condilectus, genitus scilicet & spiratus, hoc est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; nequaquam esset summum bonum, quia non summe se diffunderet. Nam diffusio ex tempore in creatura, non est nisi centralis vel partialis respectu immanentis bonitatis æternæ. Unde & non potest aliqua diffusio cogitari major illa, eadem videlicet in qua diffusio communicat alteri totam substantiam & naturam. Non igitur summum bonum esset, si se vel intellectu illa carere posset.

Si igitur potes mentis oculo contueri paritatem bonitatis, quæ est actus purus principij charitativè diligentis amore gratuito, & debito, & ex utroque permixto, qui est diffusio plenissima per modum naturæ & voluntatis, quæ est diffusio per modum verbi, in quo omnia dicuntur, & per modum doni, in quo cetera dona donantur; potes videre per summam boni communicabilitatem, necesse esse trinitatem Patris & Filij & Spiritus sancti. In quibus necesse est propter summam bonitatem esse summam communicabilitatem, & ex summa communicabilitate summam consubstantialitatem, & ex summa consubstantialitate summam coequalitatem, & ex his summam coæternitatem, atque ex omnibus prædictis summam coinitimitatem, quæ unus est in altero necessario per summam circuminseffionem, & unus operatur cum alio, per omnimodam indivisionem substantiæ, & virtutis, & operationis ipsius beatissime Trinitatis.

Sed cum hac contemplaris, vide ne te existimes comprehendere incomprehensibilem: habes enim adhuc in his sex conditionibus considerare, quod vehementer in stuporem admirationis inducit oculum mentis nostræ. Nam ibi est summa communicabilitas cum Personarum proprietate, summa consubstantialitas cum hypostasum pluralitate, summa consubstantialitas cum discreta personalitate, summa coequalitas cum ordine, summa coæternitas cum emanatione, summa coinitimitas cum emissionem. Quis ad tantorum mirabilitatem aspectum non confurget in admirationem? Sed hæc omnia certissime intelligimus esse in beatissima Trinitate, si servamus oculos ad superexcellentissimam

Summū bonum cogitari nequit, abique emanatione personarum.

Sex conditiones considerande, quæ vehementer admirationem in mente

bonitatem: si enim ibi est summa communicatio & contemplatio vera diffusio, vera est ibi origo, & vera distinctio. Et placis causate possunt, quia totum communicatur, non pars idem ipsum datur quod habetur, & totum. Igitur emanans & producens, & distinguuntur proprietatibus, & sunt essentialiter unum. Quia igitur distinguuntur proprietatibus, ideo habent Personarum proprietates, & hypostasum pluralitatem, & originis emanationem, & ordinem non posterioritatis, sed originis, & emissionem non locatis mutationis, sed gradibus in spirationis, per rationem auctoritatis producentis, quam habet mittens respectu missi. Quia vero sunt unum substantialiter, ideo oportet quod sit unitas in essentia, & forma, & dignitate, & æternitate, & existentia, & incommunicabilitate. Dum ergo hæc per se figuratim consideras, habes unde veritatem contemplari. Dum hæc adinvicem confers, habes unde in admirationem altissimam suspendaris. Et ideo ut mens tua per admirationem in admirabilem ascendat contemplationem, hæc simul sunt consideranda. Hæc D. Bonaventura.

CAPVT XVII.

Cum quantâ humilitate, reverentia, firmitate fidei speculanda sit super altissima Trinitas: ex Dionysio Cartesiano.

QUANTO Trinitas est altior & purior, tanto cum majori reverentia, humilitate, & cordis munditia, ad eius contemplationem accedere oportet. Nam (ut scribit D. Augustinus) nullibi periculosius erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur, nec fructuosius aliquid invenitur, quam unitas Trinitatis.

Contemplator igitur eragationes, iniquitatem & phantasmatas priorum se abiciens, mente recolleta, amorosa ac timorata accedat cum omni humilitate, metu & reverentia ad contemplandam mysterium super sanctissima Trinitatis, semper supponens pro certissimo fundamento fidei veritatem, & abstineat a presumptuoso & immoderato sermone, nec transgrediatur terminos à Patribus sanctis prescriptos, sed sacra Scripturæ, Catholicorumque Patrum solidissimum documentis innitens, nihil de proprio sensu audeat adhibere, nisi illorum sententias certissime consonet. Et quid, quid contemplatori devoto in Trinitatis contemplatione occurrerit, suam capacitatem & intellectum transcendens, non vane tenet illud discutere; sed fide certissima illud credens, commendet reverenter eius intelligentiam Spiritui sancto, & contentus de eo quod datur sibi intelligere & credere, & gratias DEO cordialiter agat. Et ex consideratione eorum, quæ omnem mentis creatæ capacitatem transcendunt, conjurat in piam admirationem, non in presumptuosam discussionem, pensando quod sicut DEVS æternus est penitus incomprehensibilis, creaturæ mensuræ capacitatem transcendens, ita & eius actio, præsertim ad intra. Stultissimum igitur esset, velle eam comprehendere, aut humano ingenio metiri vel discutere.

In his ergo, quæ circa super excellentissima Trinitatis contemplationem vim intellectualem transcendunt, non est nimium intellectus acendus, figendus, seu occupandus; sed simplici & stabili fide in his credendum & admirandum, ac cum laude super exaltandum est, quod Patrum documentis docetur & traditur.

Alia autem sunt, quæ in super substantiali Trinitatis contemplatione vim affectivam inflammant, devotionemque nutriunt, quæ superoluptuosissima Trinitatis supposita fide, facilius capiuntur, fructuos-

fructuosius conspiciuntur, dulciusq; gustantur, & mentem in DEO fortius afficiunt & succendunt. Quorum contemplationi, ut anima devota valeat frequentius intendere & vacare, diuturnius quoque, affectuosius, & congratulabundius immorari, caveat ne aliquid in corde lateat, quo DEVS possit offendi, charitas laedi, puritas infici, animus distrahi.

Quamvis enim superjucundissimam Trinitatem non possimus comprehendere, oportet tamen nos inde sese ac jugiter nitì, ut eam quotidie sincerius contemplemur, splendidius intueamur, affectuosius speculemur, stabilius, & superserventiùs cernamus. Ad hoc enim queritur, ut dulcius inveniat; ad

hoc invenitur, ut queratur avidius. Vt autem hoc impetremus, enitatur quotidie crescere in puritate interna, quiete mentali, & amore divino, optemusq; semper fervido zelo DEVM revereri, & ejus illuminationem insatigabiliter impleremus. Quia quantum nunc in superbeatissima Trinitatis contemplatione sublimius promovemur, eo conformiores, vicinioreq; reddimur perfectioni ac beatitudini superiorum civium, quarum tota merces, vita, & occupatio est, videre

DEVM unitivum. Hacenus
Dionysius.



D E
CONTEMPLATIONE
DIVINA
LIBRI QUARTI
APPENDIX.

De ascensione mentis per visibilia ad DEI summam TRINITATIS contemplationem, Libellus aureus Hugonis Victorini.



ANDEM pro coronide hujus hierarchiæ, in qua ex visibilibus ad invisibilis DEI perfectiones intueudas edocemur ascendere, visum fuit nobis, utilissimum ac jucundissimum Hugonis Victorini Libellum, in quo hujusmodi argumentum piè & eruditè tractatur, huic Operi inferere. Agit enim præcipuè in eo de contemplatione, qua ex visibilium cognitione ad invisibilis etiam summæ TRINITATIS assurgimus cognitionem. Omittimus tamen interim aliqua capita, ut brevitati consulamus.

CAPVT